# PANEGYRICVS
*SERENISSIMO PRINCIPI*
*AC DOMINO*
# DN. GEORGIO WILHELMO
DVCI BRVNSVIC. ET LYNÆBVRG.
# VICTORI TRIVMPHATORI
CÆSIS AD MOSELLAM GALLIS
EXPVGNATA TREVIRI
DICTVS
*AB*
HENRICO MEIBOMIO.





*Helmæstadi*,
Literis Henrici Davidis Mülleri Acad. Typ.
Anno M DC LXXVII.



PLINIVS JUNIOR
Lib. IV. Epist. XII.

OMNES, QVI GLORIA FAMAQVE DVCVNTVR MIRVM IN MODVM ASSENSIO ET LAVS A MINORIBVS ETIAM PROFECTA DELECTAT.



*ILLVSTRI EXCELLENTISSIMOQVE DOMINO*

# DN. JOHANNI HELVICO SINOLD

COGNOMENTO Schütz

SERENISS. BRVNSV. AC LYNÆB. DVCIS CONSILIARIO INTIMO ORATORI ET CANCELLARIO &c. &c.

DOMINO AC PATRONO SVO DEVOTISSIME COLENDO

HENRICVS MEIBOMIVS

*SALVTEM ET OBSERVANTIAM PERPETVAM.*



Uem superiori anno, ipso sacræ festivitatis die, SERENISSIMO PATRIÆ PATRI, VICTORI, TRIVMPHATORI, Panegyricum in totius Academiæ conspectu dixi, cum nunc recensitum in publicam lucem produco. Sanè, cujus HEROIS excelsæ virtuti marmora & statuas non Mosellæ tantum accolæ, sed universa Germania debet, illum memorari posteris omni facundiæ genere par utique est, sed illa præsertim, quæ numeris

numeris instructa aliquid præ se fert divinius. Hoc ego in Ducali Academia solus ausus fui, non, qui id posset quàm optimè, sed qui vellet quam maximè: non ingenio aut doctrina confisus, sed vel publicæ felicitatis argumento placiturus, vel instituti pietate veniam meriturus: illa interim usus calami, non mordacis, non insultantis, moderatione, quæ nec ipsis hostibus ingrata esse poterit. Si enim illis victis laudes meritas lubentes tribuimus, nobis certe victoribus nostras non negabunt; & quàm gloriosum nobis est, Gallos vicisse, tam honorificum illis erit, à solis Germanis potuisse vinci.

Tibi vero, ILLVSTRIS ET EXCELLENTISSIME DOMINE, hic Panegyricus sacer esse voluit, debuit, cui non minus vigiles noctes, quàm in excubiis militibus, publica salus peperit. *Parvi sunt foris arma, nisi sit consilium domi*, inquit præclarè Cicero. Certè, magnitudinem rerum, quæ difficillimis his temporibus agitantur, propius intuentes non possunt aliter arbitrari, quàm fato quodam, seu divina benignitate Te his terris datum, ut & illis periclitantibus succurras, & illustriorem virtutem Tuam Germaniæ pericula reddant. Scio majora Tibi debuisse offerri, & hoc carmen infra meritorum Tuorum magnitudinem esse: sed & Tibi, ILLVSTRIS DOMINE, ea imprimis placere, quæ ex devoto erga PRINCIPEM & publicam salutem animo proficiscuntur, optimè novi. Servet DEVS OPT. MAX. Serenissimum Principem GEORGIVM WILHELMVM, divinæ erga nos clementiæ certissimum pignus! Servet Te quoque, ILLVSTRIS DOMINE, ut perpetua EJVS indulgentia lætus, non tantum SERENITATI IPSIVS, sed toti Germaniæ pari imposterum zelo, pari successu Tua salutaria consilia devoveas, consecresque! Helmæstadii. In Acad. Julia. Idibus Februar. MDCLXXVI.





Andem iræ patuere Dei, Nemeſisque quietem
Turbatam, exciſasque urbes, concusſaque latè
Terrarum ſpatia, incenſumque ulciſcitur orbem.
Stat Celta attonitus, ceu quem Deus igne coruſco
Terruit, obliqua præſtringens lumina flamma.
Parte alia validos jam fortius explicat ungues
Fulminiger Jovis ales, & illa antiqua potentis
Teutoniæ virtus, nunquam moritura, triumphat.
Tertius exactis completur menſibus annus,
Ex quo Gallus acer, quem pars cultisſima mundi,
Sequana quē Ligerisq; colit, rapidusq; Garumna, &
Rhodanus, Allobrogum qui per montoſa vagatur,
Per pacem reſides populos, deſuetaque bello
Agmina in arma vocat. Coëunt cū Vaſcone Santo,
Aulercique Heduique viri, dudumque Gradivo
Narbo ſacer: fremit arma Rhemus, fremit arma Cadurcus,
Et Biturix, Senonesque, & pictis Lingo catervis.
Non tamen ipſe ſibi, non fæcundisſima regna

 Suffi-

Sufficiunt, toto qui pugnent orbe leguntur,
Et ſua Germanus male cautus robora mittit,
Et ſua Sabrina, & Tameſis, lentusque Tueda,
Et gravis Helvetius, ſociataque regna ſub Arcto,
Et domini Heſperiæ, & cognata gente Sabaudus.
Non unquam tanto coïerunt agmine gentes,
Diviſæ patriis: nunquam mage fortia quiſquam
Pectora produxit, nunquam mage cognita Marti.
Rex præit. Illum ingens geſtarum gloria rerum,
Tot palmæ, laurique, & tot ſuper hoſte triumphi,
Captivique Duces, & vinctæ colla cohortes:
Illum audens animus, vigor igneus, enthea mentis
Vis, & inexhauſtus labor, & ſpes alta, polique
Inſolitus favor, & ventis fortuna ſecundis
Ad ſummum vexere apicem: jam maximus audit,
Occiduique orbis terror, & terror Eoi.
Si tibi mens inferre Getis lacrymabile bellum,
Euxinique truces, longæque Propontidis undas
Armata tranſire manu, ne barbarus urbi
Ulterius Solymæ, atque Eois imperet arvis;
Vade age, & ingentem factis fer ad æthera Martem,
Majores imitate tuos: mox nubifer Hæmus,
Mox Rhodope, mox altus Athos tibi ſerviet uni,
Et Franco ſermone loqui ſibi dulce putabit

Græ-

Græcia, & Eois LVDOVIX dominabitur oris.
Centum urbes habitant Turcæ, ditisſima regna,
Littus arenoſum Lybiæ, penitusque repoſtas
Maſſylum gentes, Phthiam, clarasque Mycenas,
Et viridem Ægyptum, veterum penetralia Regum.
Illic & ſpolia ampla tuo pro milite cedent,
Purpureæ veſtes, pretioſaque tegmina Regum,
Et gladii gemmis illuſi, auroque pharetræ.
Quid ſatis eſt, ſi Turca parũ eſt? fac, clasſibus æquor
Ferveat omne tuis, & Gallica vela paveſcat
Euphrates, trepidusque abſtruſa in origine Nilus.
Fallimur? an potius vicinum frangere robur
Æmulus ardeſcit? Jam tum triſtisſima Belgis
Omina, difficileſque vices, lacrymoſaque fata
Cudebant Parcæ: docuit mox exitus ingens.
Quæ fuerat quondam blandæ nutricula pacis
Belgica, dives opum, & multum formoſa potentis
Filia Neptuni, facta eſt vertentibus aſtris
Scena ferox pugnæ, & miſeri domus ardua belli.
Ille viris fidens munitas fervidus urbes
Aggreditur, dedique jubet: pars territa paret
Ante tubam, pars audito terrore ruentis
Submittit ſeſe belli: dat quiſque pavendo
Creſcenti vires famæ; cum conjuge conjux,
Cum

Cum natis patresque & desolata senectus,
Quo mens icta jubet, fugiunt, carosque penates,
Et culti uber agri, & multos congesta per annos
Vix dum conspecto linquunt patrimonia Gallo.
Heu fati, sortisque vices! quæ fortia quondam,
Quæ Tartessiaci contempsit regna Philippi,
Regna, quibus Phœbus nunquã occidit, illa sororum
Fœdere septeno felix, quæ fulmina Martis
Tot tulit, insultusque invicto robore, semper
Armis læta suis, & multis læta triumphis,
Atque ipsis animosa malis, nunc tristis, hebesque,
Uno mense ruens, magno se cernua Regi
Submittit, pacemque petit. Jam scilicet illa
Mitior, oblongoque togæ tranquillior usu
Dedidicit per pacem enses, Galloque ruenti
Dissimilis, contra Ligerim Tamesimque ligatos
Auxilia à lento exspectat tardissima Bæti.
Nec tantum toto premit illos corpore regni
Infensus LUDOVIX, alios movet, atque Britannum
(Plurima pollicitus) trahit in sua fædera Regem,
Qui terræ metus, & magni formido profundi,
Partitus dudum Nerei cum conjuge fasces,
Invidet Oceanum Belgis, & multa minatus
Hostili infestat trepidantia littora classe.

Parte

Parte alia exciti, & mollissima tempora nacti
Vicini invadunt; repetitque Colonia Berkam,
Et veteres Mimigarda iras, habitusque resumit.
Non latus est, quod ab hoste vacat: bellum, undique bellum
Imminet incautis, belloque nocentior ipso
Seditio plebem furiis atque impete magno
Concitat in patres, turbatur curia, & hosti
Consiliis orbata suis dat patria nudum,
Ostentatque latus; duras hinc Mosa catenas
Accipit, auriferique palustria cornua Rheni
Fracta jacent, tumidusq; timet nova vincula pontus.
Non tulit Austriaca hoc LEOPOLDUS origine Cæsar,
Occidui orbis apex, & Divis proxima cervix,
Invictus semper belli pacisque sequester,
Teutonici metuens clades, regnique ruinam.
Idem amor accendit Proceres. Injuria toti
Illata Imperio visa est. Non certior unquam
Teutoniam fortuna manet, quàm singula magno
Si sunt, & capiti conformia membra cohærent.
Tum robur, Germane, tuum vicinia novit,
Teque orbis pars una timet, pars una veretur,
Suspiciuntque omnes, nec Gallia cauta lacessit.

Ante quidem tentare placet, (nam mitia corda
Cæsaribus natura dedit) si dedere sese
Pacis in amplexus, & mutua fædera poscat
Gallia, fisa suis opibus. Tandem itur ad arma,
Austriacis bene nota, & eunt ad prælia turmæ,
Danubij à ripis, Oeno, Savoque, Dravoque,
Odrysiis similes, rapidi quas Strymonis unda
Marte duce ætheriis fortes miratur in armis.
Cerno enses validos, & adhuc crudele rubentes,
Sanguine Turcarum madidos. Victricia cerno
Signa, Aquilasq; truces, rapidus quas Vistula quondã
Horruit, & toto timuit vagus Odera tractu.
Nec minus intrepidos ad fortia prælia GVELPHOS
Imperio jurata fides, & conscius ardor
Libertatis agit: coëunt, & fœdere facto
Se propiore ligant; pressæ succurrere parti
Fert animus, patriæque heu! declinantis honores
Asserere, indomitumq; Albim, rapidũq; Visurgim.
Dux præit, infractoq; GEORGIVS intonat ore.
Testor in hos campos me invitum adducere Martem,
Invitum nudare enses, sed tristia tangunt
Vulnera communis Patriæ. Non sævior unquam
Gallia, majoresque animosa exarsit in iras.

Non

Non animus tantum, nutantia fœdera BelgI
Frangere, & hinc fractã penit⁹ ſubjungere gentem,
Sed proferre pedem ulterius, ſed corpore toto
Irruere in noſtros diris populatibus agros,
Nec capulo prohibere manus, nec ponere finem
Militiæ, Martique modum, Germania donec
Liligero ſubdat ſua ſceptra potentia Regi, &
Lugeat indignè raptum Jovis ales honorem.
O Patria! ô ſacri cuſtos Alemannia ſceptri!
Pelle ſitum ſenij languentis, pelle veternum,
Externoque occurre hoſti, fac, arma cruentus
Exuat, & raptas reddat cum fœnore prædas.
An tandem clades, tandem tua funera ſentis?
Quod nunc ſemirutis ſordent tot mœnia ſaxis,
Rarus & Alſatis habitator in urbibus errat:
Horrida quod dumis, & quod viduata colono
Terra Palatina eſt, ſolitum nectarque negarunt
Vitiferi colles, ſpectatque incendia Nicer,
Hæc & denſa hominum debemus funera Gallo.
Poſcimur, ah Mavors! ah Mavors! poſcimur. Arma,
Arma, arma, excelſæ mentes! Patientia longa eſt.
Spernimur, & nobis titubantibus Ille per arces,
Perque urbes & regna volat, malè notaque cogit
Vincla pati fluvios, Francoque aſſueſcere ponti,
Ite

Ite Duces, ferroque bonam decernite cauſam.
Uſque adeone jacet virtus Germanica, & omnes,
Ut ſua ſubducant venienti colla ruinæ,
Immemores ſociorum & libertatis avitæ,
Alta pace latent, ſomno graviore ſepulti?
Unus amor, nullum Patriæ præponere amorem,
Nec ſibi, ſed toti genitum ſe credere mundo,
Non aberit Numen. Iuſtis victricia cauſis
Arma capi certum eſt. ultores rectius enſes
Stringuntur, cum fata premunt inimica ſuperbos,
Et violens pœnas Rhamnuſia poſcit ab hoſte.
Ite duces, ferroque bonam decernite cauſam.
Deſierat, cunctoſq; & ſermo, & moverat Autor,
Incenſiſque novum recipit Dux osſibus ignem,
Et patuit Mavortis amor, fuſoque rubore
Perque genas, perque ora internos prodidit æſtus.
Nec mora: ſe GVELPHI expediunt (ô nata triumphis
Nomina!) & ad Rhenum properant, quâ nobile tol-
Argentina caput, ſedes ubi fata cruentas (lit
Bellonæ dederant. Sed non memorabimus illa,
Quæ vertente anno ſenſere in commoda Galli;
Quæque Ducum fortuna. Novisſima prælia dicam,
Et majora aliis & cognoſcenda nepoti.
Magnus adeſt, magnus rerum mihi naſcitur ordo.
Hacte-

Hactenus invictis Gallus pugnaverat armis,
Attonitoque orbi fatalem ostenderat ensem,
Par similisque sibi. Sed justo examine cœli
In se magna ruunt, & lætis Numina rebus
Crescendi posuere modum. Furit impete Gallus,
Involvitque orbem tenebris, gentesque quietem
Desperare facit, bellique increscit ab usu,
Crescit amor belli, famæque immensa cupido,
Et nescit vis tanta modum, finemque tenere.
Sic Hyrcana Tigris rubicundos lambere succos
Cum cœpit, manet usque sitis, rabidoque receptus
Ore cruor fauce arenti mansuescere nescit.
Interea fata accelerant, & tempora læta
Teutoniæ latè oppressæ, Belgisque propinquant.
Oceano primum (Oceanus namq; omnibus undis
Tot palmis Batavo est desponsus, totque tropæis)
Gloria parta venit, mox multa clade potenti
Edomito tandem Tamesi, cessisse coacta est
Sit triplici quamvis subnixa potentia sceptro.
Nec minus ad fortis Groningæ mœnia fracta
Deposuit Mimigarda iras, & nota Gradivo
Insula Cæsareæ facta est devota coronæ.
Mox belli ad Rhenum convertitur alea, & ipsa
Pontificum sedes superatur Bonna, simulque

Redditur & Batavis libertas urbibus, & vix
Unius ad Mosæ trajectum Gallus adhæret.
Quæ tibi pro tantis debetur gloria rebus,
O LEOPOLDE? suos sentire Alemannia fructus,
Et desperatam per te sperare salutem
Incipit, ipsi etiam vicino à numine robur
Cattigenæ accipiunt, majoraque viribus audent,
Et jam antiqua redit timida in præcordia virtus.
Sic, ubi sunt caveis & parvo in carcere clausæ,
Deponunt irasque feræ, rictusque minaces
Moribus humanis mutant: Si redditur ori
Consuet⁹ cruor, hinc redeunt rabiesque, furorque,
Admonitæque iterum sitiunt nova vulnera fauces.
Nec tamen ad Mosæ tantum transmiserat amnẽ
Imperium Celta, & Lotharis regnabat in arvis,
Sed quoque bellaces Burgundi Lilia portis
Cernebant affixa suis, illa ampla Vesunti
Mœnia, Vercellæ veteres, notæque Salinæ,
Mombosium, atque alię piscosi Dubidis arces,
Dolaque, juris honos quondam: quę lumine lævo
Vicinus Teuto atque iratus spectabat Iberus.
Ipsa etiam, celebri quę gaudet fonte Mosellę,
Urbs Augusta, antiqua, potens, habitataque divis
Cęsaribus, valido se subdere cogitur hosti.

O ma-

O malè vicinis hęc condita mœnia Celtis!
O damnata situ! quoties vis Gallica terram
Germanam invadit, cedunt infausta rapinę.
O nimium addicte Imperio, fidissime TREVIR!
Austriacum fœdus dum libertatis avitę,
Et famę, fideique tenax, rellinquere nescis,
Externo fis pręda, & muros cogeris intra
Digna indigna pati, & Dominis parere superbis.
Quis satis ah! mæstasque domos & diruta flammis
Tecta, laresque Deûm, sævi spectacula Martis,
Dicere, condignoque queat describere versu?
Fallor? an illa dies veniet, quo libera plausus
Ingeminare Deo, atque hostem contemnere possis.
Jam tibi GUELPHIADÆ FRATRES, duo fulmina belli,
Adveniunt, validas & mittit BRUNO cohortes.
It simul, & certas monstrat Victoria palmas,
Quæ BRENNUM ad ripas Havelæ, quæ ad littora Rheni
Cæsareos comitata apices. Jam lubrica vertit
Incertas fortuna vices. Fugientibus aufert
Causa animos, eademque novos victoribus addit.
Cernis, ut antiquo conjuncti fædere Gothi,
Et soliti pugnare, & semper vincere sueti,
Robora nota pavent, & Brenni vindicis iras,

 Obli-

Obliquantque ſinus? Cernis nutare Trionum
Sidera, & egelidam vicinis motibus Arcton,
Et vitreum trepidare Albim, trepidare Viſurgim?
O! vos, æterno qui gurgite vivitis amnes,
Et ſoli antiquo rectè meminiſtis ab ævo,
Hæc arva, hęc magno quondam regnata LEONI,
Et nunc venturis eadem ſperatis ab annis,
Principibus GVELPHIS famulos advolvite fluctus.

Parte alia ad Rhenum de MONTE CVCVLLIVS Heros,

Unus, qui nobis cunctando reſtituit rem,
Fulminat, invictamque Aquilam, invictumque Gradivo
Auſtriacum docet. An Latias tibi, Gallia, Cannas
Argentina dabit? Ticinus flebile quondam
Nomen erat, jam Rhenus erit. Viden', ordine verſo
Ut Galli dubijque fugę, pugnæque tenentur.
Jam ſeſe adverſo dederat TVRENNIVS hoſti,
Triſtisque infauſto committitur omine pugna.
Fata inſtant, nimium Gallis inimica triumphis;
Et tormenta tonant, & magno maximus ictu
Dux cadit, & toties madefactam ſanguine terram
Germanam proprio ſaturat, ſignatque cruore.
Hei mihi! qualis erat, quantũ, quantum inſtar in ipſo!

Qualis gemma micans, fulvum quæ dividit aurum,
Aut collo decus aut capiti, mirabile visu:
Talis erat, nulli veterum virtute secundus,
Celtarum, occiduique illustris gloria mundi.
Non fortis, non ulla viri, non lædere dextra
Hunc Heroem ausa est. Periit, ceu fulminis ira
Magna solent. Homo non, homo non istum intulit
ictum,
Fortuna omnipotens, & inexorabile fatum.
Illum omnes Ararisque Deæ, rapidique Garumnæ
Et nemorum flevere Deæ: quin flumina fusis
Increvisse ferunt lacrymis. Ipsa æmula dudum,
Sed virtutis amans & in hoste, Alemannia flevit.
Aula Jovis Druidum longo jam syrmate luget
Extinctumque Ducem, & sortem metita sinistram
Spem vultu simulat, premit altum corde dolorem.
Qui procul illi autem, tanto fervore ruentes
In pugnam, ad trepidi flumen fatale Mosellæ?
Salvete Heroes, genus insuperabile bello.
Tuque prior, WILHELME, Patris generosa GEORGI
Et major soboles, celebris cui mænia Lynæ,
Et veteres parent Chauci, cui plurimus Albis
Servit, & haud uno jam ditior amne Visurgis.
Salve, ERNESTE, Decus Fratris, (nam lumina juncta

Rectius illustrant) cui mitior obtulit Hasa
Pontificale pedum, sed nunc patria arva tueri
Et pacis studio præponere bella negatæ,
Suadet amor recti, atque instans commune periclũ.
Tuque RUDOLPHE Heros, qui libertatis amore
Eminus arma moves, absensque in milite pugnas,
Et Generum Tibi substituis. Salve inclyte CIMBER,
Semideum genus, à Socero cui credita magno
Arma, & Saxonicæ pollens exercitus oræ.
Da fortuna fidem. Nunquam majore triumphat
Vindice libertas. Cuncti se scire fatentur,
Fortunati omnes! Vos magna ex hoste tropæa,
Vos æterna manet venturis gloria seclis,
Dum populum laté regem, belloque superbum
Vincitis unanimes. In Vos non Patria tantum,
In Vos nunc oculos referunt contermina regna,
Occiduo sub Sole, & Septem nota Trionum,
Et nostro spectat semotior orbe Britannus,
Et populi ultra Alpes, Appenninumque nivalem,
Ipsaque Roma anceps. Rerum cui summa potestas,
CÆSAR amat virtutem, & amica cingere lauro
Tempora vestra cupit, partoq; applaudere honori.
Salve magne parens vini frugumque Mosella,
Cæruleosque expande sinus: redit aurea tandem
Liber-

Libertas, fortisque manet te gloria pugnæ.
O! utinam, qui divitias & nobile littus,
Fæcundoque parem Nilo, Rhenoquè Mosellam
Ausonius docto descripsit carmine Vates,
Ille mihi linguamque suam, sua commodet ora,
Et cultos numeros, & non imitabile flumen;
Te Te ego dulce sonante levarem ad sidera voce,
Ostendens cunctis populis, nec Sequana dives,
Nec præferre suos auderet Tibris honores.
Est locus, antiquo jam tum memoratus in ævo,
Et notus, Romane, tibi, quo fessa Saravus
Trevericæ Augustis advolvit flumina muris,
Et bis terna fremunt scopulosis ostia pilis,
Pons hodie à vico vicino GVNTZIVS audit,
Antiqui, vastique operis. Hîc prælia, & illam
Ingentem cladem Gallorum, & robora magna
Guelphorum, & cæsam vidit Mosella virûm vim,
Ad se sanguineum miratus tendere Sarram.

Jam sese ad fossas Treveris collegerat acer
Guelphus, & undantes numeroso milite campi
Horrebant latè: nihil hîc nisi tela videres
Fulgida, & ingentes strictis mucronibus hastas,
Materiemque ignis, tædas, & sulphura, & omne
Mulciberi ingenium. Hîc oculos immania terrent

Tormenta, at mage miles. Eum spes certâ triumphi
Incitat, ostenditque diem, qui lætior urbem
Augustam Imperio, & domino transcribat avito.
Non tulit hoc Gallus, multas magnasque cohortes
Expedit, obsessisque jubet succurrere, & omni
Conatu hostiles arcere à mœnibus hostes.
It CREQVIUS, Lotharis bene notum nomen in oris,
Et Capitolinis notum Chisiisque Jovique,
Selectasque secum ducit, veteresque phalanges,
Et fortes in Marte viros, animisque paratos,
Et cuncta imprudens, prædamque in prælia portat.
Quid tantùm insano juvat indulgere labori?
Quo tendis periture? novus non cognitus hostis?
Nec venit in mentem, quorum consederis arvis?
Jamque dies suprema aderat, quâ gloria terræ
Teutonicæ claro assereret se lumine. Guelphi
Conveniunt, magnique animi, atque in utrumque parati,
Ulcisci patriam, vel certæ occumbere morti.
Exitus acta probat. Proh! fata occulta, quis ille,
Quis fuit ille dies! Non unquam lætior alto
Sol fulsit cœlo: non unquam terra benigno
Læta sinu plures expandit dædala flores.
Pars nive, pars & purpureo se sanguine pingit,
Sola

Sola caput tristi desigunt LILIA trunco.
Nulla mora est: subito cœlum tonat omne fragore,
Et campi tremuere sono; jam pulvere belli,
Quantus Bistonio torquetur, turbine, fœdus
Inspicit, & crudus lambit sua vulnera miles.
Pro se quisque viri summa nituntur opum vi.
VICIMUS! haud unquam miti victoria cœlo
Tam placuit; tantùm studijs adjuta Deorum est.
Intrepide pugnat Gallus, sed vincere nescit
Infelix: nullus sequitur de vulnere sanguis.
Quid faciat? quoniam Superis aversa voluntas.
Quis cladem illius lucis, quis funera versu
Expediat? Flos ipse cadit, quem Gallia lætum
Cultior heroo eduxit de semine, qualem
Vix ventura dabunt per multos secula cursus.
At mihi quis media dicat de plebe virorum
Nomina? quo se acies oculorum flexerat, illic
Vulgus erat stratum: rubicundum sanguine flumen
Mortua volvebat, volvebat corpora viva.
Atque aliquis prono descendens navita fluctu
Funera dinumerare velit, sed longa natantum
Obsistit series, utque unda supervenit undam,
Corpora sic densata ruunt, seseque premendo
Impediunt numerantem, & copia crescit eundo.

Pars manet, at valido se dedere cogitur hosti:
Pars fugit, at fugientem inhonestum in tergore vulnus
Impedit, accisoque remittunt poplite nervi.
Pars rupes, scopulosque, adituque carentia saxa,
Quàque est difficilis, quâque est via nulla, petendo
Teutonicas metuens iras evadere tentat.
Illi instant fugienti alacres, pedes impiger urget,
Urget eques, redeuntque instructi divite præda,
Instratosque ostro alipedes, pulcrosque tapetas,
Illusasque auro vestes, referuntque talenta.
Fictilibus solitus cænare argentea Chaucus
Vasa manu portat, seque admiratur in illis.
Credimus, an vastatum orbem, direptaque BelgI
Oppida, & excisas Rhamnusia vindicat urbes,
Et veteres largo repetit cum fænore prædas?
Sic magno oceano volitans piratica puppis,
Littoribus cunctis infesta, infesta carinis,
Et populata undas, & multis dives opimis,
Incidit in validam, bellatricemque triremem,
Et tandem fit præda, & captas reddere gazas
Cogitur, & lacerata sinus, viduataque velis,
Orba gubernaclis, antennis saucia fractis,
Ludibrium ventis natat, & nova fabula nautis.

Sed

Sed jam majorum aggredior molimina rerum,
Et captam cantare urbem. Nam fœdere juncti
Successus urgere suos, instare favori
Numinis. Haud simplex laurus, haud gloria campo
Sufficiunt: sua vertit ovans ad mœnia victor
Signa, & Trevericæ minitatur fortior urbi.
Illa pavet, trepidatque, prior fiducia cessit
Ignibus armari, & notos defendere muros.
Jam devictam urbem, jam dicere mœnia posses,
Nondum victus erat CREQVIVS; sed nixus in hastam,
Infaustæque avidus pugnæ sarcire ruinam,
Vicimus, exclamat, si corda opponimus hosti,
Trevericasque vigil servat custodia fossas.
Parte alia impavidus circumfert lumina CIMBER,
Lumina Mavorti similis; flammantis ab ore
Scintillæ absistunt, oculis micat acribus ignis.
Hinc GVELPHI, totoque GEORGIVS impete fertur,
Invitans pretiis animos, & præmia ponens,
Nunc prece, nunc dictis virtutem accendit amaris.
Non mihi si numeros & magni verba Maronis
Ingeniumque Deus, totumque Helicona dedisset,
Omnia, vel lucis spatio vel noctis abactæ,
Persequerer: non me per fulgida tela, per hastas

Perque globos tonitruque & funera, perque favillas
Transversum rapere, & furialia prælia possum
Pandere. Vasta boant passim tormenta, volatque
Machina, quæ totos cum sanguine dissipat artus.
Hic referat robusta fragor, composta relaxat,
Altaque præcipitat. Flammis urgentibus Ætnam
Undare, atque ignes credas spirare Typhœum,
Et cœlum ruere. Usque adeo crudelis ubique
Luctus, ubique pavorque, & plurima noctis imago,
Confuso armorum sonitu, gemituque cadentum.
Cedite fortunæ, Mavortia pectora, Galli,
Pugnatum satis est, perituræ parcite vitæ.
Tuque prior, Te, CREQVI, opera ad majora reserva.
Te talem, ac tantum titulis accedere nostris
Jusserunt Superi. Hoc ipso solabere fatum,
GVELPHORVM captivus eris. Si victor ovasti
Sub vario Marte, at solis te crede minorem
GVELPHIADIS, jactetque tuas tua Gallia palmas,
Sed jam Teutonico superatum robore dicat.
Ergo cadit supplex: rubor attamen inficit ora
Igneus, atque genas, nec, qui solet esse timenti,
Pallor inest. Generosa Ducum clementia victum
Recreat, & medio veniam sibi sperat in æstu.
Impetrat: & magnæ Victoria sufficit iræ,

Magna-

Magnanimoque hostem satis est prostrasse LEONI.
Vos animæ fortes, melioraque signa secutæ,
O! pubes domitura orbem, domitura profundũ,
O! verè Germana manus! Quàm CÆSARIS aures
Excipient lætè felicia nuncia pugnæ,
Atque acri Gallo defensam fortiter urbem,
Ast à Germano concussam fortius urbem.
O divine Heros! quæ te tam læta, GEORGI,
Secula, quæ tanti talem genuere Parentes?
Macte animo: nam te felicibus ire per altum
Auspiciis manifesta fides. Te respicit æquus,
Major agitque Deus, celsosque attollit ad actus.
Illa Patri, illa Tuo toties molita triumphos
Jam præstat fortuna fidem. Te terra coronat;
Te nemus omne canet: Te culmine Bructerus alto,
Quamq; nivem nunquã potuit dissolvere Phœbus,
Lætitia excutiet. Tibi laxat Vesta recessus,
Et vario fundit se dives vena metallo,
Exultansque Albis, Dominique superbus honore
Lætitiæ dat signa suæ, & caput altius effert.
Allera vicinos quoque lætior excipit amnes,
Et sua Visurgi, dein mergit nomina Ponto,
Et quicunque latent ponto Divique, Deæque,
Nereides, Glaucus, viridisque examina Phorci,
Numina gratatura Tibi, sese æquore toto
Volvunt, mobilibusque docent sua gaudia pinnis.
O! quàm Te reducem vultu Tua LYNIS amico,
Plausuque excipiet! Pauper donaria Chaucus
Parva, sed ingentem testantia mittet amorem,
Non gemmas, non aurum, atque illa incognita Eoi
F Pur-

Purgamenta maris, ſed mella liquentia, ceras,
Inſontis documenta cibi, cœleſtia dona.
Ipſa recollectas expandit JULIA vires,
Acquiritque novas, & ſe mens enthea Vatum
Tollit humo, ut ſacro pietatē in carmine monſtret.
Salve Auguſte Pater Patriæ: Dum tanta laboris
Cernere das documenta Tui, da cernere tandem
Poſſe Tuos nobis vultus. O! digna faventis
Cura DEI, ô cæli pignus! Sit fama parentum
Miratrix, noſtrosque viros contemnere docta,
Pelidem tamen in noſtro quoque cernimus ævo.
Per Te Teutonico rurſus data gloria mundo,
Qui ſibi venturæ blanditur pacis amore.
O rerum, preſſæque ſalus Pax aurea terræ,
Et ſacer orbis amor! quam ſuſpiramus ademptam,
Quam petimus votis. Jam Numina vidimus æqua,
Jam prope nos Superos. Poſitis ſibi conſulat armis,
Inque vices gens omnis amet, quæ nomine CHRISTI
Juncta, unum Dominum atque unum ſuſpirat amorem.
Interea totum quâ circumvolvitur orbem,
Quâ Tameſis Ligerisque abſorbet flumina Nereus,
Quâ Rhenus pater, & tantis Moſella triumphis
Lætior, Oceano victricia nomina mergunt,
GUELPHORUM claris memoretur goria factis,
Palmis fæta novis, & ſemper fæta triumphis!

PRO-

PRORECTOR ACAD. JULIÆ

# MELCHIOR SMIDIUS

CIVIBUS ACADEMICIS

*S. P. D.*



*Larum illud Principum domicilium:* TREVIRIS, ob Romanorum Imperatorum ibi degentium & habitantium augustam præsentiam, Trevirorum Augusta dicta, non antiquissima solùm, sed etiam tam belli, quàm pacis artibus longè celeberrima urbs jamdudum fuit. Et quidem originem illius non ex fabulosis monachorum imperitorum Chronicis, quæ *Trebetam* Nini filium, vel *Treverum*, Manno genitum, Alemannorum Regem, ejus conditorem ferunt, sed inde probatum imus, quod jam tum Imperante Julio Cæsare urbis conditione gavisa sit, & in antiquissima urbe Solodurensi talis observata inscriptio; Ammi Marcell. l. 15. c. p. 54.

*Non est in Gallis Soloduro antiquior, unis*
*Exceptis Treveris, quorum ego dicta soror.*

Imò quod originis vetustate ipsi Romæ parum, vel nihilquicquam concederet, ideò *alteram Romam* eam vocitatam esse autumant. Tacemus jam rudera, circos, statuas, fragmenta, aliaque plurima ultimam antiquitatem satis clarè testantia. Incolæ ejus Priscis illis Romanorum temporibus bellica laude & fortitudine videntur fuisse insignes, *Quotidianis enim exerciti bellis, nunquam imperata, nisi coacti exercitu fecerunt.* Quamdiu nimirum vicinorum populorum excursionibus & præliis vel excitati vel coacti sunt, illorum fortitudo & generositas animi floruit. Cæterum ex quo loci amænitas, solique fertilitas invitavit Imperatores & Reges, ut ibi vel diutiùs commorarentur vel perpetuas sedes figerent, & civitas illa Cæsar. Comm. bell. Gall. l. 1. c. 15.

*Pacis ut in mediæ gremio secura quievit*, moribus populi corruptis & per delicias fractis, sibi per clades plurimas exitium creavit. Constantinus enim Imperator, Constantius, Julianus, Valentinianus, Gratianus, & Valentius; post hos, Francorum Reges Theodoricus, Theodobertus, Clotharius & Sigebertus perpetuò, aut frequenter ibi sunt commorati. Præterea liberalium studiorum cultu perquam fuit celebris, imprimis circa tempora seculi à nato Servatore IV^ti. Quippe Gratianus, ut in Metropoliticis urbibus essent qui artes liberales publico salario docerent, constituens, Trevirensibus Professoribus aliquanto liberalius salarium solvi jussit. Eadem tempestate, Valente nimirum Imperante D. Hieronymum hujus urbis celebritas movit, ut, postquam Romæ jam variis artibus ac linguis addiscendis gnaviter operam dedisset, peragratâ Galliâ Treviris diutius substiterit, ibique inter alia, S. Hilarii librum de Synodis descripserit. Floruit ibi etiam Ursulus Grammaticus & Panegyrista, aliique. Quinet hodienum inter Germaniæ Academias, Trevirensis quædam recensetur. Populus autem ejus regionis jam tum priscis illis temporibus vel origine Ausonius de Trevirl. Salvian. de gubern. Dei lib. vi. l. xt. C. Theodos. de Med. & Profess. Hier. Epist. ad Florent. Herman. Hermes Fasc. Iur. publ. c. 33.

origine Germanicus fuit vel Germanorum natione commixtus, interque primos a Romanis ad Francos transiit, nec unquam postea ab Imperio Romano Germanico fuit separatus: imò urbs illa omnibus fere commoditatibus a natura dotata sedem Archiepiscopo illius loci & Septemviro Imperii tranquillam pacatamque hactenus præbuit; donec haut ita pridem sine omni jure, quin & idoneo juris prætextu Ludovicus Galliæ Rex eam occupavit. Verum enim verò, quantus tunc erat animorum tremor cum is fœderatorū Belgarum unitis Provinciis mirâ celeritate bonam partem suppressis, adeoque potentissimâ illâ florentissimaque Republ. propemodum subjugatâ, in vicinos, ac imprimis Imperii nostri Serenissimos Electores ac Principes arma sua converteret; tanta lætitia animos eosdem superioribus diebus subiit cum *Turennios* occisos, *Crequios* unà cum *Trevirorum* urbe illa captos, *Condeosque* fugatos esse nunciaretur. Quæ omnia, quia subito & præter plerorumque opinionem, quasi miraculo quodam contigerunt, primò quidem ad Deum nos convertimus, deinde quibus ille fortis dexteræ suæ instrumentis usus fuerit meritò consideramus. Gesta autem pleraq; sunt contra potentem illum hostem non sine Serenissimorum & potentissimorum Ducum Brunsuicens. ac Lüneburgens. Dominorum nostrorum clementissimorum felicibus auspiciis. Quod sane non absque Divini Numinis singulari directione ac providentia factum, ut Serenissima hæc Ducum familia, quæ ad fovendos eruditos & promovenda liberalium artium ac scientiarum studia, totiusque Reip. literariæ incrementa facienda, nihil non semper egit ac suscepit, illius Urbis, quæ & literarum studiis semper floruit, & Imperii Germanici non ultima est portio, vindicias pararet & obtineret. Ideoque eum hoc tempore Ecclesiæ nostræ omnipotentissimo Numini submissa animi devotione pro auspicatissimis illis bellicis successibus ac victoriis gratias agant, nostrum quoque erit Clementissimis nostris Nutritiis seorsum adplaudere. Et quoniam serenissimus Princeps ac Dominus, DN. GEORGIUS WILHELMUS Dux Brunsuic. & Luneburg. Dominus noster Clementissimus hodie suæ hujus Academiæ Director Magnificentissimus, idem quoque hostium Imperii Germanici est VICTOR AC TRIUMPHATOR gloriosissimus, tam Serenitatis ejus, quàm totius Heroicæ Ducū Brunsuicens. ac Lüneburg. Domûs salutem Deo supplici prece porro commendare, & publica voce pro ejus incolumitate, ex qua nostra omnium salus securitasque pendet, vota facere par erit. Eum in finem Vir Clarissimus, Apollineæ artis ex asse heres, non minus scilicet in pangendo carmine, quàm facienda medicina felix, Collega noster honoratissimus, Henricus Meibomius M. D. & P. P. Ord. carmen Panegyricum, crastini finitis sacris publicis, in novo Juleo recitabit. Nec rei gravitas & dignitas, nec Oratoris illius vobis satis cognita suavitas desiderat, ut Vos, Cives optimi, operosè ad auscultandum invitem. Patriæ enim Vestræ amore, & eruditionis illius elegantissimæ, poëticæ, inquam, debita æstimatione ductos Vos frequentes adfuturos, & Deum pro continuandis prosperis succesfibus oraturos confido. V. P. P. d. IV. Septemb. M D C LXXV.

*FINIS.*